

[372r]

**Gratiosus Matris pulchrae dilectionis lusus,  
olim Ismeriam, Aegypti Regis filiam,  
Christo lucratus,**

hodie ludo dramatico exhibitus  
ab Illustrissima, Perillustri, Praenobili, Nobili ac Ingenua  
mediae classis grammatices juventute  
academicci gymnasii Societatis Jesu Pragae ad Sanctum Ignatium  
1729, mense Mayo, die 17

**ARGUMENTUM**

*Tergeminos adolescentes, Marchinum, Heppinum et Seqvinum dicimus, uti ortu, ita virtute illustres, Califus, Aegypti Sultanus, vinculis pressit. Qvos tamen cum perditos nollet, ad Mahometem pertrahere cum primis satagebat. Omnem illi artem eluserunt. Demum Ismeria, Califi filia, pervertendorum a fide orthodoxa assumpsit negotium. Sed Virginis Deiparae interventu pro eo, ut adolescentes Mahometi lucraretur, ipsa in lucrum Christo ejusque cessit fidei, author postliminio sibi illisqve ex tyranni potestate elabendi. R. P. Michaelis Pexenfelder Soc. Jesu Concionator historicus, pag. 1031.*

**PROLUSIO**

*Mahometismus Christianam Innocentiam domesticae ad se invitat Syrenulae lenocinio. Sed haec objectum Mariae ectypon intuita, mox Prototypi amore capta, Mahometismum una cum Christiana fugit Innocentia.*

**INDUCTIO I.**

*Alladinus, subsidiariae nuper militiae praefectus et obtentae de Christianitate victoriae internuncius, nobile in fratrum triade Califo sistit spolium. Plaudunt victores, etiam victis ad choreas per ludibrium adactis.*

*Personae: Alladinus, Califus, Marchinus, Heppinus, Seqvinus.*

Alladinus:	Qvos praepotenti nuper acciduos throno Furor alienus reddidit, qvos et minae Rabiesqve gentis barbarae solio tuo Excivit ante supplices, hodie tibi
------------	--

- |    |            |  |
|----|------------|--|
| 5  |            | Felicitatis munus immodicum sua<br>Cupiunt litari et vivere Augustum jubent.   |
|    | Califus:   | An sat profundis strata Christiadum cohors<br>Fatis sepulta est?   |
|    | Alladinus: | Victa sub jugo ingemit,<br>Qvod tam ferocem nuspiam fuerit prius<br>Expertam dextram.  |
| 10 | Califus:   | Segnis Europae stetit<br>Adeo Gradius?   |
|    | Alladinus: | Rabidus adversam et ferox<br>Pressit phalangem.  |
|    | Califus:   | Et cecidit?  |
|    | Alladinus: | Impulsu obrutus<br>Potentiore.   |
|    | Califus:   | Fac age, optatum refer<br>Belli tenorem.   |
|    | Alladinus: | Fausta, dum jubes, loqvar.<br>Tantum subegit militem in Syriae plagas  |
| 15 | [372v]     | Agnata rabies Christianorum, ut chao<br>Pelagi, qvod omnes visui terras rapit,<br>Vix crederetur exprimi. Sed et leve<br>Fuisset aspectare tot capita ducum,   |
| 20 |            | Nisi haec Mavortis stirpe prognatam indolem<br>Prae se tulissent. Tygridum et pardum genus<br>Belle probavit nimia certandi sitis.<br>Qvin imo nec sic tygrides urgent necem,  |
| 25 |            | Nec saeva pardi vulnera at nec sic leo<br>In aggregatos hostium spirat globos,<br>Ut singulorum in funera exarsit furor.<br>Tantus, ut opinor, sangvisugarum fuit,<br>Qvantus virorum numerus. Et qvamqvam suo<br>Scythica propago munere haud segnis stetit |
| 30 |            | Et ipsa Achillis aemulos lato fovens<br>Gremio Gigantes; dum tamen tantas virum<br>Vires et iram vidit, incusso suis<br>Pavore, geminum potuit, adspectu hostium,<br>Retrahere cornu Cynthia. Hinc dubia stetit<br>Utrinque Martis gloria et crebro locis    |
| 35 |            |  |

Educta castra pristinis, vagam vaga  
 Diu exhibebant lauream. Tandem Dea  
 Belli favente, simul et ingenio ducum,  
 Terfaustus orbi Turcico affulsit dies,  
 40 Qvo ad Ascalonem Martis adversi furor  
 Tenacitatis perfidae paenas dedit.  
 Pars arcuato chalybe langventes agunt  
 Animas, cruento profluo terram rigant;  
 Pars, aemulati velites, turpi fuga  
 45 Dubiae saluti consulunt; pars et fugam  
 Et refugientes sanguine madentem manum  
 Scythicae cohortis supplici evincunt prece,  
 Ut servitutis liceat adsterni jugo.  
 Ille est Mavortis Turcici praesens honos,  
 50 Qvem turba pariter detriumphata, ut colat,  
 Habet necesse. Te proin sumnum manet,  
 Auguste, nomen, cujus auxiliis ovans  
 Tanti triumphi patria subscriptit decus.  
 Dumqve haec referri sospitatori cupit  
 55 Mars Ascalonis, nobilem in ternis avet  
 Praedam dicari fratibus, qvae si faves,  
 Humilem sacrato verticem adsternat throno.  
 Califus:  
 Secunda loqveris! Vicimus! Suum Polus  
 Ducumqve virtus laudis exposcunt decus.  
 Sereniorem luna nunc demum dabit  
 60 In auge honoris posita fulgorem, ut diu  
 Umbras rebelles hostium in latebras agat.  
 Paeana, victor, occine! Triumphum Ducis  
 Proseqvitor aula! Dumqve spumantes vides  
 Livore pueros, ex eo plausus cie  
 Ferventiores.

### Saltus octo juvenum Turcicorum

[374r]<sup>a</sup> Victa jam saliet trias,  
 Ut qvem sinistro strata Gradivo neqvit  
 Suo exhibere Principi, inimico ferat  
 Confusa plausum.

<sup>a</sup> Jako folio 373 je označena do rukopisu vložená tištěná synopse.

70      Marchinus:        Non reluctamur tuis  
                         Parere votis. Primus ego, dum sic jubes,  
                         Ut ut imperitos plausui accingam pedes.

**Saltus Marchini solius**

H. et S..<sup>b</sup>        Fratrem seqvemur.

**Saltus Heppini et Seqvini simul**

**INDUCTIO II.**

*Placet barbaro nobilis adolescentum indoles, qvapropter si Christo mittant nuncium, aulicam illis destinat libertatem. Sed renitentes carcere compingit.*

*Personae: Califus, Marchinus, Heppinus, Seqvinus.*

	Califus:	Studia placent <sup>c</sup> Et innocentis indoles triadis placet. Qva sorte geniti?
75	Marchinus:	Strenuum in castris ducem Celtica propago coluit, hunc nobis patrem Natura cessit.
	Heppinus:	Nobili mater qvoqve Prognata stirpe, surculis nunqnam horridas Sponpondit olim compedes.
	Califus:	Vultus decor Orisqve tractus indolem excultam probat.
80	Seqvinus:	Dum nos benigno patria gestaret sinu, O, qvae affutura sortis optatae bona Sperare licuit!
	Califus:	An putas spei locum In uno adesse matris, aut patriae sinu?
	Marchinus:	Etiam favore Principis spes hic virent.
85	Heppinus:	Etiam favore Principis Scythicis rosae Vernant in oris.
	Califus:	Desines posthac qveri. Non turbulenti semper e Lunae sinu Furoris imbrues depluunt nec sic truces Luna in ruinam, vulnera et caudem hostium Impellit Euros. Pallet haec crebro, rubet, Sed et serenat. Desines qveri, trias, Cui tametsi grandia patriae sinus, Sed ampliora Thraciae spondet thronus.

<sup>b</sup> H. et S. = Heppinus et Seqvinus.

<sup>c</sup> Neúplný verš rozdelený mezi dvě scény a přerušený tancem.

- Marchinus: Benigna, Princeps, loqveris!  
Seqvinus: Immeritos beas!
- 95 Heppinus: Illaesa perstet detrumpahatis salus?  
Fratres, beamur! Agite, si fas est, pios  
Deosculemur Principis grati pedes.
- Califus: Ita constitutum est: carcerum in vicem mea  
Celtas manebit aula, qva reliqvos Ducis  
100 Inter ministros, liberi, dies agant  
Feliciores.
- Heppinus: Gratia obstringis novos  
Tibi clientes.
- Seqvinus: Majus inimicis decus,  
Qvam qvod ab amicis jure sperari queat,  
Auguste, tribuis.
- Califus: Hostium vacant nota,  
Qvos Regis almus nominat amicos favor.
- 105 Omnes: Grandem veremur gratiam.
- Califus: Superest tamen,  
Qvo te capacem Thraciae reddas throno,  
Tergemina pubes. Aula, qvam cernis, beat  
Divum clientes, premiis ditat probos,  
Sed si protervos Numini inveniat, furit,  
[374v] Ut nec tueri, si velit, possit scelus  
Deo rebelle.
- Heppinus: Themidos<sup>d</sup> id poscit rigor:  
Nos a tenellis colimus Authorem Poli  
Vitae diebus singulis; non est, qvod hic  
Vereare, Princeps.
- 115 Marchinus: Prima dilectae Deo  
Documenta matris candido in sinu gero,  
Vitam illa longe citius in spolium dare,  
Qvam Coeli amorem mittere, in monitis dedit.
- Califus: At qvalem, amabo, censuit tanto Deum  
Amore dignum?
- 120 Heppinus: Ludimur!  
Califus: Qvem, inqvam, Deum  
Amore dignum censuit?
- Seqvinus: Qvalem colit  
Gens Christiana.
- Califus: Christiana gens? Probrum!  
Nomen vel ipsum gentis inferno satae  
Melior recusat Thracia.

<sup>d</sup> Řecký genitiv od *Themis*, *idis*, f.

- 125      Marchinus:        At nobis fides,  
                                   Qvam profitemur, regula est.  
     Califus:                Qvam tu fidem?  
     Heppinus:              A qva per aevum certa promanat salus.  
     Califus:                A qva per aevum in asseclas fatuos fluit  
                               Infame nomen?  
     Seqvinus:              Grande qvin imo decus.  
     Califus:                Sic vos Latina ludit infaustos fides.  
 130      Califus:            Cui posthabere Regis affectum eligis?  
     Marchinus:            Regi potentum.  
     Califus:               Illi, cui crux est thronus?  
                               Digne miseratu pusio!  
     Heppinus:              O faustum crucem,  
                               In qva universo genita stat mundo salus!  
     Califus:               Et unde genita?  
     Seqvinus:              Sangvine Theandri ac nece.  
 135      Califus:            Qvid ais? Salutem conferat fusus cruar  
                               Saevi Procurstis?<sup>e</sup> Fatue! Mors vitam?  
     Marchinus:            Haec fides  
                               Romana dictat.  
     Califus:               Veriora vos dehinc  
                               Mahomet docebit.  
     Heppinus:              Mahomet?  
     Omnes:                 Heu! Absit nefas!  
     Califus:               Nulli ergo vestrum audire Mahometem placet?  
 140      Omnes:             Nulli.  
     Marchinus:            Cruorem citius e venis furor,  
                               E corde vitam, spiritum e toto exprimet  
                               Pectore, qvam in ullo dogmate fidei sacrae  
                               Animus vacillet.  
     Califus:               Dite prognatum genus!  
                               Tantine vobis penditur Ducis favor?  
 145      Seqvinus:           Veremur omnes Principem.  
     Heppinus:              At magis Deum  
                               Lex sancit alma colere.  
     Califus:               Qvis cultum Deo  
                               Unqvam abrogavit?  
     Heppinus:              Mahomet.

<sup>e</sup> Méně obvyklý tvar jména *Procrustes, ae, m.*, v této hře navíc skloňovaný podle 3. deklinace.

Califus:                            Heu! Audax puer!  
                                        Juro! Mahometem, mente mutata, coles  
                                        Vel opinione citius Acherontis lacum  
 150                                 Trias subibis improba. Satelles, dehinc  
                                        Injice catenas perfidis et ad teturum  
                                        Illico retrude compede gravatos specum.  
                                        Tuum esto munus, ne qva fraus victis, dolus  
                                        Ne qvis supersit. Barbarum genus! Attamen,  
 155                                 Agnatus hic est perditae genti tenor,  
                                        Primis triumphat motibus, sed si novo  
                                        Petatur ausu, victa tunc demum jugo  
                                        Subjicere colla svevit. Hinc est, qvod spei  
                                        Locus supersit. Singulos proin nova  
 160                                 Studii manebit ratio tergeminam meis  
                                        Attrahere pubem nutibus. Cujus labor  
                                        Hac parte primas tulerit, hic fidat, Ducis  
                                        Inmodica laetus munera et amorem feret.

[375r]

**INDUCTIO III.**

*Achmes, Suleyma et Melichi, regii ephebuli, pervertendorum ab avita fide Christicolarum assumunt provinciam, sed a Marabucio ceu impotentes reprimuntur.*

*Personae: tres illi ephebuli, Marabucius, Soramnus.*

Achmes:                            Qvam dura cervix perfidos Celtas regit!  
 165                                 Nihil favorem sponte delatum Ducis,  
                                        Sed nec furoris turbinem pensi tenent.  
 Melichi:                            Hos tamen anhelat, si modus ferat, ad suas  
                                        Pertrahere partes.  
 Suleyma:                            Vota si ludunt Ducis,  
                                        Cui obseqventur?  
 Achmes:                            Munus hoc nostris tamen  
 170                                 Incumbit humeris.  
 Suleyma:                            Subtraham meos ego  
                                        Huic muneri humeros.  
 Melichi:                            Obseqvi dum lex jubet?  
 Achmes:                            Cave, rebelles arguet, qvodsi hic minus  
                                        Morem geramus.  
 Melichi:                            Aliqvid in mentem venit.  
 Suleyma:                            Effare medium.

- 175            Melichi:                 Studia partiri decet.  
                     Tergemini ab uno si minus vinci queunt,  
                     Herbam unus uni porriget, terni tribus.  
                     Suleyma:                 Unum facilius vicero.  
                     Achmes:                 Medium placet.  
                     Melichi:                 Qvem jam tibimet eligis?  
                     Suleyma:                 Prae aliis mihi  
    Natu minorem cedite.  
                     Melichi:                 Et nunqvid tibi  
    Buccatus alter paeplacet? Id eqvidem fore  
    Praecogitabam. Tertium proin meis  
    Fortuna cedit artibus.  
                     Achmes.                 Qvis huc gradum?  
                     Soramnus:                 Promissa Regis certa sunt: cuius labor  
    Hac parte primas tulerit, hic fidat, Ducis  
    Immodica laetus munera et amorem feret.  
    Qvidsi Soramnum fata pae reliqvis beent?  
    Versatilem qvis esse Fortunae rotam  
    Ambigat? Et ad nos facile devolvi potest.  
    Sed esse cautum munere assumpto decet,  
    Ne, si sinistro constet eventu labor,  
    Aulae cachinnum paeemii in locum feram.  
                     Suleyma:                 Qvae te, Soramne, studia?  
                     Achmes:                 Qvod, amabo, tuis  
    Incumbit humeris pondus?  
                     Soramnus:                 Anne unqvam deest  
    Aulae ministris cura?  
                     Achmes:                 Perbelle asseris,  
    Par inter aulae munia et nosmet gravat  
    Conditio. Sed te potior, ut video, premit  
    Laboris aestus.  
                     Soramnus:                 Nempe qvo validas minus  
    Persaepe vires gerimus, hoc instat labor  
    Magis onerosus.  
                     Suleyma:                 Fateor. At, si fas loqvi,  
    Nos certiores reddere impositi velis  
    Negotii.  
                     Soramnus:                 Absit.  
                     Achmes:                 Tanta sint molimina,  
    Ut nec clienti Regis aperiri queant?  
                     Soramnes:                 Varia in clientes Regis e voto fluunt  
    Studia laborum. Saepe qvod ab uno sua

- |        |           |  |
|--------|-----------|--|
|        | Melichi:  | Auctoritate postulat, id alium cupit<br>Latere.  |
|        | Suleyma:  | Qvid latere nos Princeps sinat?<br>Inania haec sunt.   |
|        | Soramnus: | Fare, qvod sinu geris,<br>Tuos Achates edoce.  |
| 210    | Achmes:   | Multum mihi<br>Molesta pubes! Author haud fiam joci,<br>Si qvod statutum est, dixer!   |
| [375v] | Soramnus: | Nihil vetat,<br>Tu sensa profer regia.   |
|        | Suleyma:  | At prohibet tui<br>Amor et tuorum.   |
|        | Soramnus: | Tesseram praebeas tui<br>In nos amoris, si, qvod arcanum putas,<br>Avidis reveles.   |
| 215    | Melichi:  | Prodo, sed procul furor,<br>Procul esto qvestus. Celticam nimium fovet<br>Princeps juventam, compede solutam cupit<br>Adscribere aulae muniis. |
|        | Soramnus: | Qvod sat liqvet.<br>Hinc pensitandum est, ne tuae posthac trias<br>Ineas periculum sortis. Hic noster labor,<br>Contra hoc periculum nitimur.  |
| 220    | Melichi:  | Fallax homo!<br>Ut nostra ludit vota!  |
|        | Achmes:   | Ne nostra dehinc<br>Periclitemur sorte!  |
|        | Suleyma:  | Sed moras procul.<br>Qvid versipellis agitet, hoc sat liqvet.  |
| 225    | Melichi:  | Nimirum avarus praemium nostris studet<br>Praeripere manibus.  |
|        | Achmes:   | Callidam vulpem!<br>Ut dolum   |
|        | Suleyma:  | Incautus ante palliat! Mihi manum<br>Jungite fidelem. Stabit in nostro decus<br>Studio, sodales, premium nosmet manet                          |
|        | Melichi:  | Favorque Regis. Carcerem peto, viam<br>Sine mora eandem legite.  |
| 230    | Achmes:   | Continuo seqvor.   |
|        | Suleyma:  | Votum secundent Caelites!  |

- Marabucius: Qvo vos pedes?  
 Melichi: Qvo vota Regis evocant.  
 Marabucius: At qvo vocant  
     Mandata Regis?  
 Suleyma: Carceris specum Ducis  
     Jussu subimus.  
 Marabucius: Carceris? Qvid si fidem  
 235      Svadere Celtis patriam?  
 Achmes: Haud aliud. Moram  
     Prohibet periculum.  
 Suleyma: Studia proseqvimur.  
 Omnes: Vale.  
 Marabucius: Audax juventus! Impotens puerum trias!  
     Scio, qvid optes; alta nimirum petis  
     Majoraqve tuis viribus. Celtas Deo  
 240      Scythiae lucrari, grandius vestra est opus  
     Opinione. Munus expertos decet  
     Virosqve tantum. Ludicro imbelles proin  
     Captate muscas otio. Celtarum ego,  
     Divum ego minister, provida causam aptius  
 245      Tuebor arte.

#### INDUCTIO IV.

*Exinde male Marabucii arrogantiae ominantes, ad regia revertuntur obseqvia. Christicolae vero, eliso Marabucii conamine, ulteriora Virginis Deiparae exposcunt subsidia.*

*Personae: iidem tres ephebuli, Marabucius, Marchinus, Heppinus, Seqvinus.*

- Melichi: „Ludicro imbelles proin  
     Captate muscas otio.“ Qvis hoc ferat?  
 Achmes: En arrogantem! „Munus expertos decet  
     Virosqve tantum.“  
 Suleyma: Turgidum fastu Popam!  
 Melichi: Prodigia certe fecerit, qvi sic tumens  
 250      Aliena temnit studia.  
 Achmes: Qvot, amabo, ad fidem  
     Perduxit ille patriam?  
 Suleyma: Nullum.  
 Melichi: Nefas!  
 Suleyma: Qvotqvot subinde carceris nostri specus  
     Christi clientes censuit, nullus Popae  
     Persvasus arte patrio accessit Deo.

- 255    Achmes:      Phuy, pudor!  
       Melichi:      Et haec est illa dexteritas.  
       Suleyma:      Ea est,  
                     Qvalem superbus jactitat.  
       Melichi:      Bilis meos  
**[376r]**    Achmes:      Pervadit artus.  
       Achmes:      Justus arterias furor  
                     Rabiesqve pectus occupat.  
       Suleyma:      Sed cur pigri  
                     Segnesqve tantum turgidi dedecus Popae  
260    Tacuimus ante singuli? Cur non probrum  
                     Probro retulimus?  
       Achmes:      Nempe majestas gravis  
                     Muneris honosqve, qvo vel indignus nitet,  
                     Justos cohibuit impetus.  
       Melichi:      I jam, tui  
                     Superbe honoris Praeco! Spero eqvidem fore,  
265    Ut fastuosus careat eventu labor,  
                     Qvem polliceris.  
       Suleyma:      Irritos faxit<sup>f</sup> Polus  
                     Tumentis ausus; tum qvidem puerum notam  
                     Et impotentum scommata insulso pari  
                     Reddam tenore.  
       Achmes:      Qvid interim superest?  
       Melichi:      Nihil  
270    Hic jam movendum est. Unde redeuntes gradum  
                     Aulae inferamus.
- Marabucius:      Mahomet? O, quantum Deo  
                     Charus prophetes! Ille delusos velit?  
       Marchinus:      Mahomet! Averni pestis, Acherontis lues  
                     Charus prophetes Numini? O, quantum Deo,  
275    Audax, honoris derogas!  
       Heppinus:      Et jam cave,  
                     Infame nomen Ismari in buccam trahas.  
       Seqvinus:      Sepultus antro Taenari nusquam meret  
                     Tot nominari vocibus.  
       Marabucius.      Scelus! Heu nefas!  
                     Necdum timetis, depluus ut ignis Polo  
280    Sacrilega adurat ora? Vel laesi rapax

<sup>f</sup> *Faxit*, arch. tvar 3. sg. ind. fut. II., klas. *fecerit*. Podobně viz v. 771, 775.

- Fulmen Tonantis perfidam fandi opprimat  
Libidinem?
- Heppinus: Te nube, Mahometi satum,  
Subinde fulmen opprimet, eidem nisi  
Citius remittas nuncium.
- Marabucius: Infelix trias!
- 285 Marchinus: Infaustior tu et digne miseratu Popa!
- Marabucius: Sunt vana nostra studia, conatu aëra<sup>g</sup>  
Qvatere videmur. Vix ad optatam trahet  
Frugem petitus gurgite inferni labor  
Tam pervicaces.
- Marchinus: Vicimus! Prima suos  
290 Caeli bearunt laurea.  
Seqvinus: O fratres! Nihil  
Virtutis hic est propriae; laudem Deo  
Occinere et hymnum Sospitatori decet.
- Heppinus: At cui, manente Numini laude integra,  
Cui munus istud jure in acceptis dari  
Existimatis?
- 295 Marchinus: Nempe Reginae Poli  
Terraeqve Dominae.
- Heppinus: Tota vis nostra est sita  
Totumqve robur in Pia, ach, Pia Dei  
Nostraqve Matre.
- Marchinus: Tibi proin, Virgo Inclyta,  
Sint mille grates, mille sint laudes.
- Seqvinus: Tuo,
- 300 Marchinus: Maria, posthac supplices fove sinu.  
Tuae in futurum gratiae, Caeli Arbitra,  
Praesidia cupimus!
- Heppinus: Non trucem vultum hostium,  
Sed nec catastas, vincula, eqvuleos, rogos,  
Nec saeva demum vulnera, infamem necem  
Effugere trepidi nitimur. Serva in Tuo  
Nos, Diva, amore, dulce continget mori.
- 305 Marchinus: Rabidas tyrannus exerat per nos licet  
Furoris Aethnas, stringat acinaces, rotis  
Et mille plagis, mille tormentis furat,  
Nihil veremur, nil recusamus. Modo  
Tua, Virgo, nobis gratia assistat, favor
- 310 [376v] Adspiret, ut et jugiter Christi fidem  
Tueri et almo liceat in sinu mori.

<sup>g</sup> Metricky nejasný verš.

## INDUCTIO V.

*Ismeria super eo, qvod per qvietem ternos adolescentes virginis cuidam admirabili acci-  
duos et in ejus vota concedentes vidisset, vane angitur. Spe demum explicandi a Mara-  
bucio somnii erecta, nonnihil qvietatur.*

*Personae: Ismeria, illius ephebulus.*

- |     |   |
|-----|---|
| 315 | Ismeria: Ismeria! Qvae te forma defixam tenet?<br>An forte svetus Morpheus nostras jocis<br>Lusit pupillas? Fallor! Ach, nimium impotens<br>Et vana vis est Morphei, qvae tam cita<br>Exemplar astris editum et dignum Polo<br>Praesentet arte. Sed ubi caelestes notae?  |
| 320 | Ismeria! Vano luderis sensu! Nihil<br>Instabile caelo est. Principem astrorum vaga<br>Rapiunt dietim tempora, at sinui et locis<br>Subinde reddunt pristinis. Eadem tenet<br>Sors reliqva caeli lumina. At nostro semel   |
| 325 | Erepta forma lumini nunquam anxios<br>Revisit oculos. Forte dum somnus novum<br>Oculis papaver straverit, eandem feret<br>Sors fausta speciem. Sed quid incerta spei<br>Puella jactor anchora, ubi nullum spei  |
| 330 | Fundamen esse video? Proh duras vices!  |
|     | Ephebulus: Regina, qvis, Regina, te maeror tenet?<br>Ismeria: Ach virgo! Sicne virginis fibras qvatis?<br>Ephebulus: Sopiat Canopo barbiton qvaestum sono.  |
| 335 | Ismeria: Virago, cuius fronte solaris nitor<br>Promicat utramque Gratiae pingunt genam!<br>Gemini serenum lucis astrorum jubar<br>Seqvuntur oculi. Qvanta, pro Superi, undinque<br>Visae venustas virginis! Terna insuper<br>Profusa pubes supplicis morem tenet,<br>Qvando coruscos prona veneratur pedes<br>Votoque Divae corda et innocuam sacrat<br>Ex asse mentem. Cur ego segnis steti?<br>Qvis aemulari vetuit insontum vices? |
|     | 334 Virago] Virgago GL.   |

345                    Cur non tetendi ad candidos Divae pedes  
                       Utramqve palmam? Maxime ubi placidas amor  
                       Excivit ardens flammulas, dulcis fibras  
                       Depavit aestus? Segnis Ismeria, nimis  
                       Ignava virgo! Dicite ad minus, pii  
                       Caelestis orae nuncii! Ach vos, vos precor,  
 350                    Caeli pyropi! Dicite astrorum plagae!  
                       Et vos, polares lingvulae, qvalem in sacra  
                       Deceat vereri virginem, dubiae mihi  
                       Denunciate! Sed tacent. Sortem asperam!  
                       Qvousqve dubiis fluctibus, ach, insons agar  
 355                    Ismeria? Id unum suppetit, ut in re Popam  
                       Tantum implicata consulam. Sunt hi, ut reor,  
                       Subinde rerum consci, qvae nos latent.  
                       Votum secudent Caelites!

[377r]

**INDUCTIO VI.**

*Marabucius eo, qvod apud Christi asseclas nihil svadendo profecerit, causantibus prae-  
 vie ejus arrogantiam ephebulis, aula exesse jubetur. Califus dolo, sed frustraneo, Hep-  
 pinum adoritur.*

*Personae: 2 aulici, Califus, 3 ephebuli, Marabucius, Heppinus.*

Alladinus:	Tristis labor! Dum cespitanti nuper incessit pede Mars Ascalonis, non sat optatam diu Nobis qvietem sustulit? Fati metus Mortisqve terror jussit insomnes diu Transigere noctes. Nunc ubi victor pedem Castris honorum retulit, an solito putas Vehi triumpho Principem? In tristi latet Ignavus antro, gloriae in specu locat Segnis triumphum.
Soramnus:	Cura qvae pectus qvatit? Qvae causa qvestus?
Alladinus:	Qvestubus campus patet Interminatus.
Soramnus:	Qvid ita?
Alladinus:	Te solum latet Inhonorus angor regiae?

---

369 Interminatus] Interminatur GL.

- Soramnus: Ne tu mihi  
Obscura loqveris.
- Alladinus: Illud inflamat jecur,  
Qvod gloriosam carceris furvo specu  
Princeps recondat lauream. Victor tribus  
Inhiat pusillis, dum interim solidos decet  
Agere triumphos.
- 375 Soramnus: Fiet hoc, fiet palam,  
Paeana victrix regia insvetum canet.
- Alladinus: At qvando?
- Soramnus: Citius forte, qvam reri licet.  
Docebo methodum: dum ante conclusi specu  
Celtae latebant unico, a geminis modo  
Rex segregavit tertium. Fiet dehinc,  
Ut advocato traditos morti innuat  
Fuisse fratres. Unus haudqvaqvam, putem,  
Votis resistet regiis. Postqvam hic manum  
Mentemqve victimam dederit, impulsu velut  
Acti seqventur caeteri.
- 380 Alladinus: Hoc tandem potest  
Malo mederi.
- Soramnus: Nunqvid hoc medium placet?
- Alladinus: Haud aliter.
- Soramnus: At qvis huc gradum?
- Alladinus: Regem ominor.
- Soramnus: Est ipse Princeps.
- Califus: Victor immensas qvatit  
Calif cohortes, sternit innumeram hostium  
Fausto catervam Marte, nec dubiam legit  
Ubiqve messem gloriae. Hic fallat meos  
Fortuna nisus? Hectorem, Marte inclytum,  
Parida<sup>h</sup> nec unum straveram; heroum globi  
Cessere nostris viribus. Stupeat nefas  
Defixus orbis! Robori imbellis trias  
Tanto resistat! Nempe torpescens jacet  
Conatus aulae, stertit imposito sibi  
Aula universa munere.
- 390 Ephebulus 1: Aeqvum esto mihi,  
Magnanime Princeps, qvaepiam palam eloqui.
- 400 Califus: Eloqvere.

<sup>h</sup> Parida – řecký akuzativ.

- Ephebulus 1: Testes proferendorum aspicis.  
 Jussa audientes regia, celeres viam  
 Ad mancipatos legimus. Verum Popa  
 Tumidus repressit obvios, multa insuper  
 Nihil gravatus, probra verborum tulit  
 In innocentes.
- 405 Califus: Verane profaris?  
 Ephebulus 2: Nefas  
 Foreti sacroto falsa deferri throno.
- Ephebulus 3: Auguste, vera loqvimur.  
 Califus: Infaustum Popam!  
 [377v] Alladinus: Qvis huc propinqvat? Pedibus adsterni Popa  
 Adstans peroptat regiis.
- 410 Califus: Propius velim  
 Accedat audax. Causa qvae insontes suo  
 Nuper retrusit munere?
- Marabucius: Invictum Caput  
 Scythiae, ministros Numinum munus decet  
 Tam grande, qvod vix brachia Atlantum qveant  
 Sufferre.
- Califus: Te ergo decuit impositam ducis  
 Tractare causam.
- 415 Marabucius: Decuit, incassum tamen  
 Tentata res est. Rupe prognatum genus  
 Meliora temnit dogmata et Christi sacris  
 Mordicus adhaeret.
- Califus: Phuy pudor! Grandis pudor!  
 Jactas acervos artium, cilio meos  
 Superbiente despicis? Ubi sunt tua,  
 Superbe Praeco, studia? Per fluctus ego  
 Stygiae paludis juro! Non unqvam meam  
 Aulam revises. Cede conspectu procul!  
 Procul esto vultu regio!
- 420 Marabucius: Infaustas vices!
- 425 Soramnus: Auguste! Jussis stetimus. In suo latet  
 Heppinus antro, fratribus veteri simul  
 Specu relictis.
- Califus: Mens in accensi prius  
 Furoris oestrum rapta, vix placidos sinit  
 Simulare vultus. Rex tamen dote inclytus

<sup>i</sup> Foret – konj. imperf., obvykle esset. Podobně viz v. 749, 762.

- 430                    Meliore gaudet; dum furiit, par est suo  
                       Excire Charites nutui. Hinc adsit puer!  
                       Mercedem opimam consilii, dignam duce,  
                       Si vota cedant, qvisqvis id tulerit, feret.
- 435                    Heppinus:      Magnanime Princeps Thraciae, qvando hi pedes  
                       Tandem gravari desinent?  
                       Califus:          Qvando meum  
                       Pectus gravari desinet?  
                       Heppinus:      Qvis id gravat?  
                       Califus:        Marmorea cervix. Causa qvae adventus tui?  
                       Heppinus:      Ignarus adsum.  
                       Califus:        Ignarus? Ubi fratres tui?  
                       Heppinus:      Eadem misellos fata seclusos tenent.  
                       440                Qvid unionem fratribus loci negas?  
                       Califus:        Non est, qvod unum cum tuis locum ambias.  
                                      Non palpitarunt ante prae metu fibrae?  
                                      Non corda?  
                       Heppinus:      Qvid ita?  
                       Califus:        Senseris fratrum necem,  
                       Fatere!  
                       Heppinus:      Superi! Fusus est fratrum cruor?  
                       445                Califus:        Et jure. Voto qvi refragatur ducis,  
                                      Ducis furorem sentiat.  
                       Heppinus:      Superi boni!  
                       Califus:        Qvid, amabo, Princeps, egeras?  
                                      Nolim tamen  
                       450                Exinde metuas. Pendet annutu tuo  
                                      Et vita vinclis mollior et idem tuo  
                                      Ex arbitratu pendet exitii rigor.  
                                      Nostin, qvid optem?  
                       Heppinus:      Traditi fratres neci,  
                                      Cur ego superstes dego? Syderea Polo  
                                      Fratres coruscant laurea, cur me gravant  
                                      Injuriosae compedes? Solusne ego  
                       455                Regi molestus extiti, ut paenas darem  
                                      Prolixiores? Rumpe funestas moras,  
                                      Mihi catastas destina, me, me rogis  
                                      Exure, vel qvo paeplacet, mortis modo  
                                      Extingve, fratres citius insontes seqvar.  
                       460                Califus:        Heu silice cervix durior! An ergo probrum  
                                      Infame mortis eligis?  
                       Heppinus:      Id unum placet,  
                                      Amore Christi sanguinem et vitam dare.

- 465                    Qvid adhuc tyrannis agitat? Ach, quantum suam  
                        Invideo sortem fratribus! Rape me, rape  
                        Cito, satelles! Mitte, qvo fratres citant!  
                        Califus:                    Heu! Caeca mentis indoles!  
                        Heppinus:                Necem, ach necem!  
                        Quid adhuc moraris? Subjicio caput, feri!  
                        Intende Furias, perime, qvod tantum precor!  
                        Califus:                    Moriere, pestis!  
                        Heppinus:                Moriar? Ach grates tibi,  
                        470                        Auguste! Fratres! Jam seqvor! Grates tibi,  
                        Auguste Princeps! Vicimus! Jam mors prope est.  
                        Califus:                    Imo in remoto fata versantur! Procul  
                        Supplicia!  
                        Heppinus:                Quid ita? Fulmine insontem obruis.  
                        Per sceptral  
                        Califus:                    Non moriere.  
                        Heppinus:                Per regni decus!  
                        475                 Califus:                    Non.  
                        Heppinus:                Per coronam!  
                        Califus:                    Non.  
                        Heppinus:                Per augustum jubar!  
                        Califus:                    Non, non.  
                        Heppinus:                Per omnes denique imperii notas!  
                        Califus:                    Non, non.  
                        Heppinus:                Per astra!  
                        Califus:                    Non.  
                        Heppinus:                Per aetherias domos!  
                        Califus:                    Insulse! Non moriere, sed veterem specum  
                        Tibi reserabit miles, ut tandem crepes,  
                        480                 Dum vivere olim supplici optabis prece.  
                        Heppinus:                Ach vita morte durior!

### INDUCTIO VII.

*Eodem pene tenore Alladinus Marchinum et Seqvinum adoritur, nihil tamen amplius proficit.*

*Personae: Alladinus, Marchinus, Seqvinus, satellites.*

- Alladinus:                    Scythia! Stupe!  
                        Imbellis aetas, ut cui niveo madent  
                        Adhuc labella lacte, nutricum bene

- 485                    Vix lapsa gremio, tanta molitur Duci!  
                       Qvid jam supersit consilii? Credit puer  
                       Fratres peremptos, credit expositos neci,  
                       Quid? Ut alieno cautus evadat malo?  
                       Vita magis, qvam morte, terretur puer  
                       Prolixiore. Forte tranqvillam magis  
 490                    Natura reliqvis indolem et sensum dedit.  
                       Agito satalles ocyus, fratres mihi  
                       Ferro solutos siste!
- Miles:                Qvod jubes, ago.
- Alladinus:            Qvis vero restat aries impulsu potens?  
                       Eqvidem juvabit regiis uti strophis.
- 495                    Fingam advocatis horrido fratrem improbum  
                       Cessisse fato. Miles, ad furvum praei  
                       Conclave, stratum sangvine effuso nota  
                       Ensemqve tinge pariter. Haec sunto necis  
                       Jamjam peractae signa.
- 500                    Marchinus:            Qvae rursus strepunt  
                       Imperia?
- Seqvinus:             Frater! Forte supremam parant  
                       Superi palaestram.
- Alladinus:            Qvid ita sollicitam jubet  
                       Praeferre mentem? Fronte qvid acerbum sedet?  
                       Ut qvid tremiscunt ossa?
- Marchinus:            Me nullus timor  
                       Nec angor ullus.
- Alladinus:            Conscia scilicet mali  
                       Mens nil amaenum nilqve securum parit.
- 505                    Seqvinus:             Eqvidem fatemur. Cujus at culpae reos  
                       Nos esse reputas?
- Alladinus:            Cujus? Insontem! Dei  
                       Cultum nefando, perfido, affixo cruci  
                       Reddere Procusti, crimine hoc demum vacet?
- [378v]                510                    En innocentes!
- Seqvinus:             Heu probrum! Heu lingvae nefas!  
                       BlaspHEME, hic, hic te stolo sacrilegum probas.
- Marchinus:            Et qvid molestis disputas verbis fidem  
                       Toties probatam? Mille, si lubet, probra  
                       Evome, Theandrum mille sacrilegis pete  
                       Ructibus; abinde nuspiam palmam feres.
- 515                    Alladinus:            Perfide! Putasne hic voce sterilemente agi?  
                       Severiora combibes! Saevum citus  
                       Resera theatrum, carnifex! Nosti necis

- Vestigia? Cujus sangvis hic fusus? Stupes?  
 520      Eloqvere! Trepidas?  
 Marchinus:      Frater!  
 Seqvinus:      Ach frater!  
 Alladinus:      Bene  
                   Fratrem profaris. Frater hic stratus jacet  
                   Fratresque similis complices culpae vocat.  
 Marchinus:      Sed cur, amabo, primus hic laurum tulit?  
 Seqvinus:      Avare frater!  
 Alladinus:      Singulis poena haec manet.  
 525      Marchinus: Qvis jam paebit alteri?  
 Seqvinus:      In mortem ruo.  
 Marchinus:      At me priorem jura naturae vocant.  
 Alladinus:      Utrumque Avernus glutiet.  
 Seqvinus:      Praeoo. Vale,  
                   Adamate frater!  
 Marchinus:      Carnifex, siste impetum!  
 Seqvinus:      Feri, satelles!  
 Marchinus:      Me feri!  
 Seqvinus:      Me, me feri,  
 530      Dulcis satelles!  
 Alladinus:      Abripe, satelles, probrum.  
 Miles:      Veterem prius subite, furciferi, specum.  
 M., S.<sup>j</sup>:      Iterum miselli ludimur.

### INDUCTIO VIII.

*Obvius Ismeriae Marabucius percipit somnium. Explicat virginem visam fuisse ipsum Ismeriam, in cuius vota captivi Christicolae cesserint. Redit ad aulam, id ipsum ocyus Regi nunciaturus.*

*Personae: Ismeria, Marabucius.*

- Ismeria:      Variis adhuc  
                   Animus vacillat motibus. Tristes morae!  
                   Ut visionem mysticam alieno darem  
 535      Djudicandam calculo, nefas fore  
                   Existimabam. Qvis locus spei super?  
                   Me vera fugiunt sensa. Contristor, gemo,  
                   Sed et astra caeli frustra in auxilium voco.  
                   Qvodnam subesse crimen, aut nefas potest,  
 540      Si dubia vati visa, si curam explicem?  
                   An non Poparum munus accedit Polo?

<sup>j</sup> M., S. = *Marchinus, Seqvinus.*

545

Ismeria! Pone panicos tandem metus  
 Dubiisqve temet fluctibus sana eripe.  
 Belle propinqvas, munere attingens Polum,  
 Divum Minister.

550

Marabucius: Sydera aeternum beent  
 Oculi pupillam regii! Non jam Deum  
 Minister, haud caelstis interpres notae,  
 Verum superbus, furcifer, probrum Stygis.  
 Convitia nemo singula in censem vocet,  
 Qveis<sup>k</sup> misellus opprimor.

Ismeria: Qvis haec probra  
 Jactare tentat?

Marabucius: Aula, Rex ipse.

Ismeria: Ast ego  
 Procul esse crimen jubeo. Sed temet simul  
 Secretioris consilii, qvod nos gravat,

[379r]

Fieri peropto concium.

555

Marabucius: Qvid te gravet,  
 Augusta virgo? Me dolor, me sors premit.

Ismeria: Desiste tandem conqueri et fidam mihi  
 Qvietus aurem commoda.

560

Marabucius: Per te nova,  
 Virgo serena, spiret insonti salus.

Ismeria: Audi gementem, qvid moras nectis? Novo  
 Miseram lacessis vulnere?

565

Marabucius: Veniam mihi,  
 Augusta virgo. Prome, qvod sinu geris.

Ismeria: Sopita nuper Morpheo, lapsam Polo  
 Attonita vidi virginem, cuius nitor  
 Circumqve fusa placida majestas Deam

570

Esse innuebat. Qvam procul Charitum decor  
 Et Gratiarum distat a visa nitor  
 Caeli figura! Huic flammeas fundunt preces  
 Terni clientes, virginis stringunt pedes  
 Seseqve Divae nutibus totos dicant.

Nec plura fas est eloqui, dum angor fibras  
 Interminatus occupat.

Marabucius: Gratam rei  
 Seriem recenses. Absit e fibris dolor,  
 Ter fausta virgo!

Ismeria: Prome, si sensum capis,  
 Et inquietam subleva.

<sup>k</sup> Queis, arch. tvar abl. pl., klas. quibus. Stejně viz v. 639.

- 575      Marabucius:        Qvantum patri  
                          Solamen istud adferet!  
     Ismeria:                Fare, qvid adhuc  
                               Maestam moraris?  
     Marabucius:            Fausta Reginae qvies!  
                               Ismeria! Felix virgo! Tres numqvid favor  
                               Furorqe Regis patrio addici Deo  
                               Celtas flagrabat? Irritae dudum minae  
 580      Suoqve blandimenta caruerunt scopo?  
                               Adhucne, virgo, fluctuas?  
     Ismeria:                Qvin tu mihi  
                               Obscura loqveris.  
     Marabucius:            In coruscanti polo  
                               Qvid esse possit clarius?  
     Ismeria:                Plura edoce.  
     Marabucius:            Tu, tu illa virgo, cuius accidua trias  
 585      In vota cessit.  
     Ismeria:                Illa ego? Superi boni!  
     Marabucius:            Non est, qvod ultra fluctues.  
     Ismeria:                Qvid ais? Ego?  
                               Ismeria? Repete faustum augurium.  
     Marabucius:            Polus  
                               Te destinavit, virgo, qvae palmam feras  
                               De pervicaci triade. Nec fas est moras  
 590      Texere, Penates regios peto, Duci  
                               Aulaeqve felix nuncium citus fero.  
                               O, qvanta Regi gaudia et qvantity patri  
                               Jubilum creabis! Filiae in sinum ruet  
                               Novumqve amori pristino adjicit decus  
                               Paterni amoris.  
     Ismeria:                Perge, qvo Caeli trahunt  
                               Indicia.

### INDUCTIO IX.

*Plaudit inde Califus et exclusis caeteris totum Ismeriae delegat negotium. Si tamen res minus e voto cedat, infame protinus Christi asseclis supplicium decernit.*

*Personae: Ismeria, Califus, Marabucius et alii.*

- Ismeria:        Superi! Mene tam grandi parem  
                               Dijudicastis muneri? Qvis me manet  
                               Totius aulae et patris augusti favor?

---

587 faustum] faustus GL.

[379v]

Ismeria! Plaude, Ismeria! Jucundos age  
 Tranqilla soles. Mene depictam meis  
 Subjecit oculis Cynthia? In meo jubar  
 Tantum refulsit vertice? Ismeria! Deae  
 Praefers decorem, lumen attingis Poli  
 Charitumque calcas gratiam. Ast quid te tibi  
 Ita peregrinam reddidit? Tantum tui  
 Ignara, virgo, es? Nosce te melius dehinc  
 Tuamque magni facere condiscas velim  
 Felicitatem.

605

Califus: Nata! Solamen patris!  
 Cordis paterni corculum! Virgo Jove  
 Parente digna!

610 Ismeria: Veneror imperii notas,  
 Auguste genitor.

Califus: Sceptra te decent, decus  
 Throni, corona, te decet regni jubar,  
 Filia parente dignior!

Ismeria: Multum mihi,  
 Invicte genitor, tribuis, a pedibus ego  
 Scythiae Monarcham veneror.

615 Califus: Aula, Amazonem  
 Verere, plausu prona victricem cole.

Marabucius: Te sydera beent virginem, patris decus,  
 Regni pupillam.

*Omnis idem repetunt.<sup>1</sup>*

Ismeria: Genitor, immeritam beas.  
 Califus: Proseqvere plausus aula, festivum melos  
 620 Cieant phonasci. Tuque victrici pedes,  
 Aulica juventus, circulo implexos vove.

### Saltus qvatuor ephebolorum

Ismeria: Deveneror amplum gratiae immensae sinum,  
 Auguste genitor! Stabo pro tuis dehinc  
 Assidua votis, siqve constringens onus  
 625 Necessitatem statuat, insomnes agam  
 Tranqilla noctes, donec optatum patri  
 Dicare spolium liceat.

Marabucius: Est quidem trias,  
 Est obstinata. Te sed inidicio Poli

<sup>1</sup> Ostatní zřejmě opakují v. 617 a první polovinu v. 618. V. 618 tedy nejprve zazní jako neúplný.

- |     |             |  |
|-----|-------------|--|
|     |             | Ratiocinantem capiet, ac demum fide<br>Christi reicta, Thraciae Numen colet.   |
| 630 | Califus:    | An certa vates occin?  |
|     | Marabucius: | Testor Polum,<br>Verende Princeps!   |
|     | Califus:    | Fausta vaticine canis.   |
| 635 |             | I, perge, virgo, perge, qvo stimulat Polus,<br>Qvo vota Regis, patriae qvo te trahit<br>Propriique fama nominis. Veteri velim<br>Cura solutos caeteros aulae incolas.<br>Nemo inde studia misceat, nemo specu<br>Vinctos revisat hospites, non jam reos,<br>Qveis melior instat filiae adnisi salus. |
| 640 |             | Progredere, nata. Nosque, quam primum tuo<br>Laurea micabit vertice, memento novis<br>Illlico beare nunciis.   |
|     | Ismeria:    | Caelo duce<br>Progredior, alme genitor. Ah, utinam novos<br>Hodie paterno servulos lucrer throno!  |
| 645 | Califus:    | Age jam, minister Numinum, si spes meas,<br>Natae tuasque falleret rabido trias<br>Infascinata toxic?  |
|     | Marabucius: | Procul metus<br>Et omnis absit cura.   |
|     | Califus:    | Spero eqvidem fore,<br>Qvod polliceris. Si tamen fructu suo<br>Pretiosa genitae cura, speciosus labor<br>Careat, furorem Numinum testor, nece<br>Subita peremptos, Tartaro in praedam dabo!  |
| 650 |             |  |

[380r]

## CHORUS

*Innocentia Christiana dum sangvinis fusione pro fide cupit erubescere prolixiore, innocentis vitae candore Mariae honorem jubetur faenerari.*

INDUCTION.

*Agreditur munus Ismeria, qvae auditis Deiparae encomiis, ingenti ejusdem visendae tenetur desiderio. Suscipit proinde Marchinus depingendae Virginis officium, notantibus id ephebulis.*

*Personae: Marchinus, Heppinus, Seqvinus, Ismeria.*

- Marchinus: An jam propinqvat mortis optatae dies?  
 Heppinus: Langvescit animus aspera fati mora.  
 655 Marchinus: Heppine!  
 Heppinus: Fratres!  
 Seqvinus: An bona, frater, potes  
               Gaudere sorte, qvin pari nosmet bees  
               Felicitate?  
 Heppinus: Istudne fraternus favor  
               Svaserat, ut amplo gloriae assumpti sinu,  
               Relinqveretis squalido insontem specu?  
 660 Marchinus: O saeva fratrum, fratre neglecto, salus!  
 Marchinus: Qvis iste gemitus?  
 Heppinus: Tarda mors! Qvid tam pigro,  
               Lubitina, passu graderis?  
 Seqvinus: Audistin? Qvid haec  
               Lamenta?  
 Marchinus: Siste paululum.  
 Heppinus: Fratres Polo  
               Plaudunt recepti, qvid ego desertus gemo?  
 665 Ignave, segnis barbari in memet furor!  
 Marchinus: Est frater.  
 Seqvinus: Est Heppinus. Est nostrum decus.  
 Marchinus: Heppinus est.  
 Heppinus: Qvae vox meas aures qvatit?  
 Marchinus: Heppine!  
 Seqvinus: Frater!  
 Heppinus: Frater? Ignotus mihi  
               Frater. Gemellos astra felices beant.  
 670 Seqvinus: Amate frater!  
 Marchinus: Vivis?  
 Heppinus: Est fratrum sonus.  
 Seqvinus: Vivisne, dulcis frater?  
 Heppinus: An adeptae Polo  
               Socium coronae poscitis? Fratres! Cito,  
               Cito venite, praesto sum, ut faustos seqvar.  
 Marchinus: Fraterni amoris osculo absentem seqvor.  
 675 Heppinus: Praesentis, haud absentis amplexum volo.  
               Qvid me relictum luditis?  
 Seqvinus: Nostin tuos,  
               Heppine, fratres?  
 Heppinus: Gloriae in sinu simul  
               Locate fratrem, rapite, qvo votis feror.

- Seqvinus: Specusne qvaeris gloriam, qvi nos tenet?  
 680 Desiste votis!  
 Heppinus: Qvid? Specus? Caelum peto.  
 Marchinus: Ach, in remoto nostra versatur salus!  
 Heppinus: Adhucne miseri vivitis?  
 Seqvinus: Donec Deo  
              Authore vitae fata succedant, specu  
              Vetere retrusi vivimus.
- Heppinus: Vivunt! Pudor!  
 685 Marchinus: Tyranne mendax!  
              Si lubet, nostri subi  
              Antri Penates.  
 Heppinus: Si lubet? Dic, si licet.  
              Occlusus arcte carcer est. Tento tamen.  
              Aptate socias, si lubet, operi manus.
- Ismeria: Felix tibi hora fulgeat, fratrum trias!  
 690 Nolim pavorem cieat Augustae favor.  
              Sum virgo, nata Regis, optatam ferens  
              Vinctis salutem.
- Marchinus: Te astra Divinis beent,  
              Augusta virgo, gratiis.  
 Heppinus: Qvis hic favor,  
              Qvae virgo?
- Ismeria: Regis filia, intendens tuis  
 [380v] Fratrumqve votis.  
 Marchinus: Fata qvae dubios manent?  
 Seqvinus: Qvid non petitus virginis notat favor?  
 Marchinus: Istud necessum est, corda sacremus Deo  
              Ejusqve Matri Virgini.  
 Seqvinus: O, absit nefas,  
              Qvod fraus dolusqve forte postremus parat!
- 700 Ismeria: Restituo fratrem fratribus.  
 Heppinus: Grates tibi,  
              Augusta virgo. Stringo vos fido sinu,  
              Fratres amati.
- Marchinus: Mutuam e fido cape  
              Pectore salutem.
- Seqvinus: Sospitrici Polus  
              Opima reddat praemia.
- Ismeria: Haec, haec vos manent.  
 705 Insveta genitor dona et insolitus parat  
              Princeps honorem.

- Marchinus:           Dona? Qvin potius rogis  
Saevaeqve morti destinat.
- Ismeria:              Procul metus!  
Hodie solutos compede educam specu.
- Heppinus:             Sed nunqvid aras Thraciae per te prius  
Colere jubemur?
- 710                    Ismeria:             Jura qvod patriae ferunt.  
Seqvinus:             Sed nostra nobis jura prae reliqvis placent.  
Ismeria:             Propria cuiqve sensa prae reliqvis placent,  
                        Seqvenda cum sit veritas.
- Marchinus:           Hanc nos docet  
Fides Latina.
- 715                    Heppinus:           O virgo! Si nostram fidem,  
                        Si combibisses, protinus Christo manum  
                        Victamqve mentem traderes.
- Ismeria:             Superi! Nefas!  
Qvid loqveris, audax pusio? Ego? Patriae decus,  
Aurora regni Thraciae, Charitum soror,  
Aemula Dearum, qvid ego? Ego vestro darem  
720                    Mentem manumqve Numini? Sic vos rei  
                        Damnatis ipsos, gratias Regis favor,  
                        Dum proprius in vos excitat Furias rigor.
- Marchinus:           Fac age patronam, virgo, age, inflamma patrem,  
                        Ut nos, qvod agimus supplices, tandem enecet.
- 725                    Ismeria:             Sic? Pulchra vota! Ego author existam necis,  
                        Qvae sponte munus sospitatrixis gero?  
                        Et grande nunqvid crimen est, tantum sui  
                        Cruoris esse prodigum?
- Heppinus:             Minimum nefas,  
Pietatis imo plurimum, innocuam Deo  
730                    Litare vitam!
- Marchinus:           Nempe te, virgo, latet,  
Qvod amore nostri Christus innocuam Deo  
                        Sese dicarit hostiam.
- Ismeria:             Christus?
- Seqvinus:             Deus.
- Ismeria:             Heu error! Anne subjacet morti Deus?
- 735                    Marchinus:           At subjacere potuit, assumpta prius  
                        Humanitate.
- Ismeria:             Qvid novum jactas nefas?
- Seqvinus:             Qvid hoc stupescis?
- Ismeria:             Unde sumpsisset Deus  
                        Humanitatem?

- Heppinus: Virginis castae bibit  
Castus cruorem.
- Ismeria: Qvis iterum fatuos novus  
Dementat error?
- Heppinus: Virgo, si nosses Dei  
740 Ismeria: Experta Matrem!
- Ismeria: Virginem?  
Marchinus: Virgo est, nota  
Maternitatis praedita. Est Virgo supra  
Sydera refulgens.
- Heppinus: Calcat astrorum jubar  
Solisqve calcat gratiam. Dictis fidem,  
O virgo, tribue, nullus hic error latet.
- 745 Ismeria: Qvam mira, tantum ignota dubitanti refers.  
Agedum, meumne pariter excedit tua  
Virgo decorum?
- Heppinus: Qvid ais? E terra et polo  
Collecta rerum gratia, intuitu Sacrae  
Dei Parentis umbra, nil aliud foret.
- 750 Ismeria: Stupenda narras! Si licet, oculis fave  
Tantae figuram Virginis.
- Heppinus: Neqveo tuis  
Parere votis.
- Marchinus: Mente, si lubet, exprime  
Qvascumqve species; mille si tandem legas  
Portenta rerum, singula totidem modis  
Superat Mariae gratia.
- 755 Ismeria: Sed hujus mihi  
Liceat videre ectypon.
- Seqvinus: Frustra id petis.
- Ismeria: Qvid ita?
- Heppinus: Peritas munus excelsum petit  
Apellis artes. Qvid rudis tentet manus?
- 760 Marchinus: Et ista nobis matris officio preeest.  
Huic corda, vitam, spiritum et totum damus  
Mentis vigorem, cuius in sinu mori  
Qvam dulce, virgo, qvamqve jucundum foret!
- Ismeria: Sed ego videre Virginis peto iconem.  
Nemo ergo nostris dextera artifice potest  
765 Parere votis?

- Heppinus: Nemo.  
 Ismeria: Proh! Miseras vices!  
     Qvid ergo tantis profuit, qvam nunc negas,  
     Laudare dictis Virginem?  
 Heppinus: Veniam mihi  
     Meisqve tribue. Virginis nostrae decor,  
     Qvemcunqve tentes, artis excedit modum.  
 770   Ismeria: Tentare lubeat, forte successu labor  
     Stabit secundo.  
 Marchinus: Faxo, qvod tantum petis.  
     Ergo tabellam prona, penicillum mihi,  
     Simul et colores coice. Spero eqvidem fore,  
     Indesinenti fiat ut voto satis.  
 775   Ismeria: Faxo, favete perbrevem abeunti moram.

### INDUCTIO XI.

*Alladinus in omnem rei eventum lugubre theatrum meditatur. Ephebuli, qvod ante notarant, eidem aperiunt; qvi interim ad aulam ob spem melioris eventus repetito nuncio revocatur.*

*Personae: Alladinus, miles, carnifex, 3 ephebuli, aulicus 1, aulicus 2.*

- Alladinus: Exacue ferrum, carnifex! Reliqva cohors,  
     Intende circo lugubri!  
 Miles: Jube, horridum  
     Visu theatrum surget, infausta ut trias  
     Vel ante fata concidat.  
 Carnifex: Triplex caput  
 780   Alladinus: Mucro hic tricipiti tradet in praedam cani.  
     Non est, qvod iras jactites; etenim fore  
     Confido, ut amplam gaudii messem patri  
     Nata Imperantis referat. At placitis tamen  
     Obtemperandum est regiis, qvamvis ea  
     Praecogitatum nuspian attingant scopum.  
 Ephebulus 1: Ingrata patri genita!  
 Alladinus: Qvo res est loco?  
 Ephebulus 2: Ismeria!  
 Alladinus: Qvid tam tristis Ismeriam invocas?  
 Ephebulus 3: Qvam metuo, ne nos fallat et fallat patrem.  
 Alladinus: Qvid ita? Recense, si qvid injustum notas.  
 790   Ephebulus 1: Metuenda fraus est.

- Alladinus: Loquere, qvid doli latet?  
 Ephebulus 3: Ut qvid puella Virginis, qvalem velut  
     Matrem suimet Numinis Celtae colunt,  
     Captitat amores?  
 Alladinus: Unde tu tantum nefas  
     Probare possis?  
 Ephebulus 2: Unde? Qvid aliud notat  
 795      Petita species Virginis?  
 Alladinus: Ne tu mihi  
 [381v]      Obscura loqveris.  
 Ephebulus 1: Clarius idipsum cape.  
     Ismeria laudes Virginis, qvalem impii  
     Dei Parentem nuncupant, avida prius  
     Percepit aure, cujus a Celtis modo  
 800      Sollicita poscit ectypon. Capis?  
 Alladinus: Nihil  
     Hic subtimendum est. Forsan idipsum suo  
     Medium triumpho destinat.  
 Aulicus 1: Ad aulam gradum  
     Princeps referri praecipit.  
 Alladinus: Num jam caput  
     Lauro coruscum Principis genita tulit?  
 805      Conatus instat ultimus jamqve optima  
     Spes in propinqvo est.  
 Alladinus: Itane?  
 Aulicus: Pro certo tene  
     Et ad Penates regios redditum para.  
 Alladinus: Malecauta lingvae probra! Vis Regi improba  
     Fandi libido constet?  
 Ephebulus 1: Heu! Absit malum!  
 810      Nullus enim in isto sedit eloqvio dolus.  
 Aulicus 2: Ad aulam, ad aulam, singulos subito jubet  
     Adesse Princeps. Qvid moras trahitis? Cito,  
     Cito, frater, omnes Rex in officium vocat.

## INDUCTIO XII.

*Anxiis de assumpto depingendae imaginis officio Christi et Mariae clientibus, allapsa  
 portento Deiparae icon angorem commutat in tripudium. Agnoscit Ismeria objectae  
 sibi per quietem Virginis effigiem totaque in amorem Deiparentis abripitur.*

*Personae: Marchius, Heppinus, Seqvinus, Ismeria.*

- Marchinus:      Quantum tremisco! Palpitant fibrae metu,  
 815                  Simul et pudore vultus insveto rubet.  
 Heppinus:      Qvis te ad ruborem compulit? Tua haec, tua  
 Culpa acciderunt.  
 Marchinus:      Angor excruciat meum  
 Immensus animum.  
 Seqvinus:      Sed nec in solo pudor  
 Ruborqve sistit, verum in insontes qvoqve  
 820                  Fratres redundat.  
 Heppinus:      Singulos dubio procul  
 Idem in periculum conjicis.  
 Marchinus:      Veniam date,  
 Fratres amati. Depreco, si qvod minus  
 Deliberata mente commissum est nefas.  
 Seqvinus:      Deliberare decuit.  
 Heppinus:      Et nostrum et tuum  
 825                  Assurget inde dedecus.  
 Marchinus:      Ach, veniam date  
 Nec jam doloris pondere afflictum magis  
 Gravate fratrem.  
 Seqvinus:      Sponte collectum est onus.  
 Heppinus:      Ista sit imago Virginis? Monstrum! Et tamen  
 Marchinus artem hanc combibit, ne tu mihi  
 830                  Aemulus Apellis crederis.  
 Marchinus:      Qvid adhuc novum  
 Addis dolorem?  
 Seqvinus:      Frater! Hoc minimum reor,  
 Qvod te dolore nosqve maerore opprimas.  
 Attende tabem, qvam Dei in Matrem invehis.  
 Marchinus:      Hoc, fateor, hoc me cruciat et pectus qvatit.  
 Nulla ergo spes sit? Nullus auxilio locus?  
 Maria ferre sola subsidium potest!  
 Seqvinus:      Qvid crimen auges?  
 Heppinus:      Forte prodigium petis?  
 Qvid nisi cachinno barbarum excipiet genus  
 Dei Parentem?  
 Marchinus:      Heu absit, heu absit nefas!  
 835                  In frusta tabulam redigo, sic eqvidem impium  
 Evito dedecus.  
 [382r]                  Heppinus:      Sed qvid optanti dabis  
 Regis puellae?

- Marchinus: Grande qvid, si dem nihil.  
Seqvinus: Ita vero, frater, praebitam explebis fidem?  
Heppinus: Sic stabit ore veritas?  
Marchinus: Dicat licet,  
845                         Et mille probris, mille mendacem asserat,  
                               Modo suus Aliae Virgini maneat honor.  
                               Sed qvis dolorem sublevat? Fratres! Piae,  
                               Dulcis, Benignae est Matris in promptu favor.  
                               Cernitis amoris pignus?  
Heppinus: Heu! Heu me, scelus,  
850                         Scelus peractum est.  
Marchinus: Sceleris insolentes probant  
                               Divae favores.  
Seqvinus: Siccine ingratos beas,  
                               Augusta Virgo?  
Heppinus: Siccine infidis faves?  
                               O parta silice corda!  
Seqvinus: Marmoreum caput!  
Heppinus: Ignosce frater. Tuqve cumprimis, Poli  
855                         Regina, utrumqve crimine dolentem exime.  
Marchinus: Fateor, pusillam dedimus Augustae fidem.  
                               Nunc agite, tanto intensius Matrem Dei  
                               Succensa corda Sospitatrix colant.  
                               Sic spero inustam posse consumi notam.  
860                         Et jam propinqvat virgo.
- Ismeria: Quid agitis?  
Marchinus: Viden?  
Ismeria: Ubi vivo? Ubi sum? Caelites! Ubi moror?  
                               Ismeria! Qvo te proximus, qvo te, insciam,  
                               Conjecit error! Chara Caelitibus trias!  
                               Dilecta soboles Numini! Dulcem iconem!  
                               O forma caelo lapsa! Terfaustum ectypon!  
                               Terfausta pubes! Sola ego infelix, ego,  
                               Improba puella!  
Marchinus: Crimine, o virgo, vacas,  
                               Qvam proseqvuntur gratiis astra et Polus  
                               Tanto favore cumulat.
- 865                         Haec eadem, haec ea est,  
Ismeria: Qvam per quietem videram. O Virgo! O Deus!  
                               Vidisse memet rebar. O pudor! O dolor!  
                               Infauste! Mendax! Inscie astrorum Popa!  
                               Sed qvid ego dictis crimen alienum improbo?

- 875                    Ismeria! Tu, tu incauta, tu culpae rea es,  
                         Superba mulier!  
                         Heppinus:         Desine, o virgo, queri,  
                         Sed in Mariae gratiam innocuas magis  
                         Converte fibras.  
                         Ismeria:         An spei est locus super?  
                         Seqvinus:         Confide, Caelum et Virgo te suam volunt.  
                         Ismeria:         O dulcis icon! Contere, o Virgo, nefas!  
                         880                 Ignosce culpam! Tibi dehinc vivam, Tibi  
                         Moriar. Ach astra! Lucidae empyrei faces!  
                         Depluite castas, explico corda et sinum,  
                         Depluite flammas! Mittite favillas! Amor,  
                         Amor in Sacratam Virginem nostros, precor,  
                         Depascat artus! Virgo! Te aeternum colam!  
                         885                 Quid vero superest? Fugio! Vos duces seqvor,  
                         Divae clientes. Valeat aeternum pater!  
                         Valeant Penates regii! Patria, vale!  
                         Omnia, valete! Desero paternos Lares,  
                         890                 Ut Christum et ejus Virginem Matrem colam.

### CANTUS INTERMEDIUS

[382v]

### INDUCTIO XIII.

*Marabucius templum, in quo fratres, ejurato Christo, doctrinae Mahometis subscriptu-  
 ri falso creduntur, adornare nititur. Califus dexteritatem filiae commendat.*

*Personae: Marabucius, Califus.*

- Marabucius:         Plaudo! Triumpho! Nempe nonnunquam rigor  
                         Etiam innocentes deprimit, tanto ut magis  
                         Illos in augem gloriae extollat favor.  
                         Me nuper aula repulit et vultu procul  
                         895                 Rex esse jussit; prona jam nosmet colit  
                         Aula et Monarchae, pristino absumpto nefas,  
                         Sinu recumbo. Nomen Ismeriae lubens  
                         Famamque cedo, cedo victricis decus,  
                         Sed qvod puella nuspian, nostro nisi  
                         900                 Directa sensu, tulerit. Age, tempus vocat.  
                         Coruscet ara! Fulgeat templi decor!  
                         Ut, qvo novellos Ismari socios vocat  
                         Pietatis ardor, vota qvo trahunt, ibi

- |     |  |
|-----|--|
|     | Pietatis omen colligant. Ternum explica<br>Ternis tapetem.   |
| 905 | Califus: Nata! Lucraris patrem,<br>Cor tibi paternum vendicas.<br>Marabucius: Veneror tuum,<br>Magnanime Princeps, veneror augustum jubar<br>Novumque tanta in filia heroem colo.  |
| 910 | Califus: O nata! Qvae te, nata, vicitricem manent<br>Decora et honores? Per ego Titanis jubar,<br>Noctis per astrum juro! Genitoris throno<br>Adstabis inde proxima, ut quidquid tua<br>Optata tulerint, patris e sinu legas.  |
| 915 | Marabucius: Hic prona nostro vota dedicabit Deo<br>Tergemina pubes.<br>Califus: Provide officio praees.  |
|     | Qvid tu, minister, praemii in vicem feres?<br>Marabucius: Tibi famulari, Thraciae augustum decus!<br>Aeqvabit augem gloriae.   |
| 920 | Califus: Caelum invoco!<br>Feres, quod optas; plura quin imo feres,<br>Quam vel putare, aut prosequi votis queas.<br>Age jam, satelles! Nemini accessum veta<br>Cuique sunto liberae templi fores.<br>Conveniat aula! Singulos testes volo<br>Novi trophyei, nata quo patrem colit.<br>O nata! Plus quam nata! |
| 925 |  |

## INDUCTIO XIV.

*Adest insuper Alladinus, dignos adolescentes, qvi ex carcere educti jam fuerint, denuncians. Inde jubilus, qvi tamen postliminio in extremam Califi et aulae universae consternationem convertitur, dum nempe compertum fit, adolescentes duce Ismeria fuga elapsos esse.*

*Personae: Alladinus, Califus, Marabucius et alii complures.*

- Alladinus: Terfaustum fero,  
Magnanime Princeps, nuncium  
Califus: Insignem refers  
Sobolis amatae lauream?  
[383r] Alladinus: Invicta manu  
Ismeriae apertus carcer est.

- Califus: Felix pater!  
Felixque nata!
- Alladinus: Vix procul aberit.
- Califus: Bene est.
- 930 Califus: Victricis age, satelles, adventum nota.
- Miles: Qvod vota poscunt regia, ad amussim seqvor.
- Califus: Primus ego, primus filiae occurram pater  
Amazonemque voce festiva colam.
- Tum carmen aula repeatat, unanimi sono  
Paeana victrici occinens.
- 935 Miles: Vicum sonus  
Festivus implet proximum, natam sua,  
Magnanime Princeps, pube stipatam reor.
- Califus: Fac age, sine mora nuncium Ismeriae refer,  
Adesse Regem nilque, praeter solam eam  
Suosque posci.
- 940 Achmes: Propero, qvo Princeps jubes.
- Marabucius: Vos at modesto genua curvetis situ.
- Califus: Vultu modesto, genibus affixis solo  
Et complicatis manibus.
- Marabucius: Heu! Absit scelus,  
Ut qvod dicata Numini trias malum,  
Ut indecorum qvidpiam in vobis notet.
- 945 Califus: Ipse ego praeibo, specimen Augusti decet  
Seqvatur aula.
- Achmes: Carceris patent fores,  
Auguste Princeps.
- Califus: Nil novi refers.
- Alladinus: Fave,  
Magnanime Princeps, corrigam errorem ocyus.
- 950 Califus: Ubi morantur? Adsit actutum trias  
Adsitque genita! Quid ais?
- Achmes: Horresco loqui.
- Califus: Quid ita? Profare.
- Achmes: Palpitant fibrae metu.
- Califus: Quid singulorum residet in vultu dolor?  
Loquere! Quid angit corda? Vulcanus Ducis  
Depavit aedes?
- 955 Achmes: Grandius qiddam reor.
- Califus: Quid me moraris, perfide?
- Aulicus alias: Heu! Princeps! Nefas!

- Califus: Quid bubo similis alteri triste occinis?  
 Aulicus alias: Ingrata patri genita!  
 Califus: Ferales sonos!  
 Califus: Quid est, scelesti?  
 Alladinus: Proh! Inauditum nefas!  
 960 Califus: Superi! Quid haec lamenta? Bubonum soni?  
 Achmes: Ismeria se cum triade commisit fugae.  
 Suleyma: Heu! Crimen!  
 Melichi: Hoc et providi nunqvid diu  
           Prius monuimus?  
 Marabucius: Qvidqvid?  
 Omnes: Infelix Popa!  
 Alladinus: Auguste!  
 Marabucius: Qvid jactatis?  
 Alladinus: Ubi Princeps?  
 Califus: Quid est,  
 965 Qvod vos dolore cruciet?  
 Alladinus: Ismeria! Improba!  
           Perfida!  
 Califus: Secusne filiae cessit labor?  
           Pereat cruento protinus ferro trias!  
 Alladinus: Auguste! Lapsa est filia et lapsa est trias.  
 Califus: Fatue!  
 Achmes: Paternos nata deseruit Lares.  
 970 Califus: Heu! Quid profaris?  
 Soramnus: Scelus inauditum adfero,  
           Magnarime Princeps.  
 Califus: „Valeat aeternum pater,  
           Valeant Penates regii, patria, vale!  
           Omnia, valete! Desero paternos Lares,  
           Ut Christum et ejus Virginem Matrem colam.“  
 975 Heu! Fata! Qvo me volvitis? Stygium scelus!  
           Seqvor rebellem! Filia! Acherontis lues!  
 Marabucius: Credamne tantum crimen?  
 Omnes: Infelix Popa!  
 Melichi: Apage, scelest furcifer.  
 Suleyma: Jam aperi tua,  
           Superbe Praeco, lumina.  
 Marabucius: Pereo.  
 Omnes: Peris.  
 [383v] Marabucius: Obruite miserum saxa, proterite caput,  
           Vel sic cruentas Regis evadam manus!  
 Califus: Scelerata! Perduellis! Heu! Ubi lates?

Ismeria! Averni soboles! Heu! Pudor! Heu! Scelus!  
 Qvid adhuc moraris, Cerbere? Huc rabies, furor,  
 985 Erebi petitus gurgite! Ignivomas faces  
 Eructet Orcus! Huc, Avernales rogi!  
 Desaevituras ocyus inundent fibras!  
 Huc, saevae Erynnes! Barbara Eumenidum trias!  
 Huc, tota demum rabida Plutonis domus!  
 990 Huc, dira Caeli fulmina! Et flammam Polo  
 Contempta probro Luna fatalem evomat.  
 Heu me! Scelestia mulier! Heu, quid ago? Pudor!  
 Pudor! Fugacem ad flumina Acherontis seqvor.

### INDUCTIO XV.

*Ismeria cum sociis flammeas Exhilaratrici Deiparae grates persolvit utrique se totos  
 ejusdem obseqviis mancipant.*

*Personae: Ismeria, Marchinus, Heppinus, Seqvinus.*

	Heppinus:	Fugimus avara littora, immites plagas.
995	Marchinus:	Secura jam sit vita? Et in tuto salus?
	Seqvinus:	Qvidsi fugaces Regis exposcat furor?
	Heppinus:	Nihil timendum est, proteget suos dehinc Caelica Virago servulos.
	Ismeria:	Procul metus, Procul et pavores! Faciet a nobis procul, Faciet pericla Virginis Divae favor.
1000		Virgo! Liquescunt corda et in dulces abit Mea vita amores. Sim Tua, o Virgo! Tua sim Et me fuisse citius optarem Tuam.
		Qvam prae paterno melius arrident sinu Tuae, o Maria, gratiae! Has in nos qvoqve Torrente pleno Caelica Virago tulit.
1005	Marchinus:	Omnes Mariae gratis vincti sumus.
	Ismeria:	Qvam dulce lege hac qvamqve vinciri bonum est!
	Seqvinus:	Qvae, amabo, melior esse libertas potest?
1010	Ismeria:	Amplius, O Diva, me tuo stringi velim Jubes amore!
	Heppinus:	Matris officio dehinc Nobis tibi qve praerit astrorum Arbitra.
	Ismeria:	Qvalem, benigni Caelites, nacti sumus Prae patre Matrem! Mater! Huc vestras manus,
1015		Ingenia, vires, artem, o artifices! Meis Est vilis ara in manibus. Exstruite sacras,

- Terrestre Caelum, exstruite Mariae domos!  
 Convertite gazas orbis, obryzo undique  
 Vestite!
- Marchinus:                    Frustra, Ismeria, agimus, aedes sacrae  
 1020                         Flammata nunc sint corda, prospiciet subin  
                                Mariae honori Numen et sapiens Polus.
- Ismeria:                    Tibi itaque, Virgo, dulcis astrorum Arbitra,  
 [384r]                         Nostrum Tibi cor, cor Tibi dicatum volo.  
                                Huc casta amoris flamma! Depascat meas  
                                Cordis medullas, cordis exurat fibras  
                                Mille renovatus flammulis Mariae amor.
- Marchinus:                    Mille Tibi grates, mille sint laudes, Pia  
 1030                         In immerentes Diva, me totum Tibi  
                                Tuisque posthac traditum obsequiis volo.
- Seqvinus:                    Momenta vitae singula, et si quod Tibi  
                                Mihique, Virgo, gratius vita est bonum,  
                                Ex asse honori Sopitatrixis dico.
- Heppinus:                    Adjungo votis vota. Ad extremum meae,  
 1035                         O Diva, vitae spiritum, ardebunt Tui  
                                Amoris in me flammulae, donec subin  
                                Vehemens amoris aestus et corda et fibras  
                                In busta, honoros memet in cineres agat.
- Ismeria:                    Coronet Aether vota. Tibi Virgo, Tibi  
                                Spirare liceat et Tuo in sinu mori!

### EPILOGUS

*Docet premi qvidem posse, sed non solum non opprimi Innocentiam Christianam, verum sub Mariae praesidio evadere gloriosiorem.*

O. A. M. D. G. et B. V. M. H.